DISPUTATIO MEDICO-CHIRURGICA
INAUGURALIS
DE

HYDROCELE.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS

D. JOANNIS ESGERS,

S. S. THEOLOGIÆ DOCTORIS, EJUSDEMQUE FACULTATIS, UT ET ANTIQUITATUM HEBRAICARUM IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA PROFESSORIS ORDINARII.

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu,*
& *Nobilissimæ* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis, ritè ac legitimè consequendis,

Publico Examini submittit

GERARDUS DE WIND, GER. FIL.
MEDIOBURGO-ZELANDUS.

Ad diem 11. *Februarii* 1752. *hora locoque solitis.*



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud GEORGIUM WISHOFF,
MDCCLII.

VIRIS,

ÆTATE, ERUDITIONE, DIGNITATE CONSPICUIS

D. GERARDO DE WIND,

PATRI CHARISSIMO, OMNI AMORE, PROSEQUENDO, MEDICO JAM PER QUADRAGINTA ANNORUM SPATIUM FELICITER PRAXIN MEDICAM EXERCENTI, V. D. MINISTRO QUIESCENTI INTER ANTIPÆDOBAPTISTAS MEDIOBURGI ZELANDORUM VENERANDO.

D. JANO VAN BEEKHOVEN DE WIND,

FRATRI DILECTISSIMO, MEDICO HARLEMI EXPERIENTISSIMO; COLLEGII AD RES OBSTETRICIAS MEMBRO; IBIDEMQUE ANTIPÆDOBAPTISTARUM ORATORI SACRO, FACUNDISSIMO, DOCTISSIMO.

D. PAULO DE WIND,

FRATRI AMANTISSIMO. POLIATRO MEDIOBURGI ZELANDORUM; ANATOMIÆ, CHIRURGIÆ ET ARTIS OBSTETRICIÆ IN PATRIA URBE LECTORI DIGNISSIMO; ILLUSTRIUM ORDINUM ZELANDIÆ LITHOTOMO, FELICISSIMO; EMBRYULCO INGENIOSISSIMO, DEXTERRIMO.

D. GULIELMO ROELL,

MEDICINÆ DOCTORI; ANATOMIÆ ET CHIRURGIÆ APUD AMSTELÆDAMENSES PROFESSORI FAMIGERATISSIMO, SOCIETATIS INDIÆ ORIENTALIS MODERATORI SAGACISSIMO, SOCIETATIS INDIÆ ORIENTALIS MEDICO DIGNISSIMO, SUMMIS NOMINIBUS CONDECORANDO.

D.

D. TJERK NIEUWENHUYS,

PHILOSOPHIÆ DOCTORI. AMSTELÆDAMI INTER ANTIPÆDOBAPTISTAS PROFESSORI THEOLOG. ET PHILOS. ERUDITISSIMO, FACUNDISSIMO; IN HUMANIORUM LITERARUM SCIENTIA CONSUMMATISSIMO.

D. MARTINO ARKENBOUT,

IN ANTIPÆDOBAPTISTARUM ECCLESIA, QUÆ LEIDÆ COLLIGITUR VERB. DIVIN. MINISTRO ELOQUENTISSIMO; THEOLOGO NON MINUS ERUDITO QUAM MODESTO; OMNI VENERATIONE COLENDO.

Has Studiorum primitias.

D. D. D.

GERARDUS DE WIND, GER. FIL.

A U C T O R.



DISPUTATIO MEDICO-CHIRURGICA INAUGURALIS.

DE

HYDROCELE.

§. I.



Optandum foret, ut qui morbos recenter inventos novis designant nominibus, operam semper darent, ne in his formandis unquam negligerent veram nominis convenientiam cum ipsa rei, cui imponitur, natura, ut ita vox rem ea significandam exprimeret.

Constat enim, Græcos Medicinæ Principes propria dedisse nomina tumoribus in hac vel illa corporis humani parte hærentibus, & sic ex combinatis vocabulis ὕδωρ Latinis aqua, & κήλη tumor, conflasse ὑδροκήλη, tumor aquosus. Cum autem vox illa κήλη, cele apud Veteres omnis tumor quamcunque corporis regionem obsidens diceretur, postea tamen in specie intestinorum ex cavitate abdominis prolapsui annexa fuit: unde tot & tanta in Scholis

 Me-

Medicorum irrepſere nomina, quæ propter varias affectiones materiæ ſive loci variam originem traxiſſe videntur. Ex data Hydroceles Etymologia concludere licet, hanc eſſe aquoſi humoris collectionem in ſcroto, quæ improprio nomine a latinis Scriptoribus Hernia aquoſa vocatur, Belgice, **Waterbreuk.** Patet exinde, Hydrocelen non inter diverſas Herniarum ſpecies, ſed potius ad Hydropem eſſe referendam, quæ nominis ſimilitudo perverſæ curandi methodo anſam præbuit.

§. I I.

Antequam ad noſtrum propius accedamus ſcopum, haud inutile erit, ſubtiliſſimam ſcroti fabricam inveſtigare, ut eo melius morbi pertractandi natura inclareſcat.

Scrotum definitur, quod ſit burſa quædam, extra abdominis cavitatem propendens, quæ teſticulos cum partibus contentis involvit. Exterius ſe conſpiciendam præbet ſutura per totam longitudinem decurrens, qua ſcrotum in dextram ſiniſtramque dividitur partem. Communia ſcroti integumenta terminantur, Epidermide, cute, & membrana celluloſa, quæ per omnem ſcroti ſubſtantiam ſe diſpergit; hæc propriæ inſequuntur tunicæ, quarum prima Dartos vocata ſe in duos expandit loculos, quorum latera juxta ſe invicem collapſa mediaſtinum ſeu ſeptum inter binos teſtes formant, altera, quæ ſequitur, tunica Vaginalis ſeu Elythroides dicitur, hæc eſt vera continuatio vaginæ, quæ funiculum vaſorum ſpermaticorum recondit, ſed illa, quum ad teſtem pervenerit, ſenſim ſenſimque ſe dilatat in duas lamellas, quarum una fundum vaginæ funiculi Vaſ. Sper. format, altera laxe teſticulum ambit, & tunicæ vaginalis accipit nomen, cujus ſuperficiei internæ ſubtiliſſima adhæret membrana, quæ adeo arcte ſe circa funiculum Vaſ. Sperm. connectit, ut inde peculiaris teſticulo ſervando exſurgat vagina, quæ omne impedit commercium inter funiculum Vaſ. Sperm. ipſamque tunicam vaginalem.

Veteres aliam adjunxere membranam, cui Erythroides nomen impoſuere, verum improprie, quoniam verus eſt muſcu-

culus, Cremaſter dictus, cujus fibræ juxta funiculum Vaſ. Sperm. decurrentes externæ Vaginalis tunicæ ſuperficiei ſe inſerunt.

Ultima, quæ reſtat, tunica Albuginea nominatur, quæ intime teſti adnaſcitur, adeo ut hæc ſola tanquam proprium teſticuli integumentum cenſeri mereatur. Teſtes nil aliud eſſe conſtat, niſi congeriem vaſculorum minutiſſimorum ſemen conficientium, quæ miris contorſionibus inter ſe convoluta hærent, & omnia in unum quaſi centrum conſpirare videntur, ex quorum unione teſticulus naſcitur acceſſorius, in externa teſtis ſuperficie locatus, Epididymis dictus; eadem vaſculorum diſtributione gaudens, ex quorum extremis anguſtiis vaſa deferentia originem ducunt, quæ cum Vaſis Spermaticis, mediante cellulosa membrana, conjuncta & Vaginæ peculiari incluſa funiculum Vaſ. Spermat. efformant.

§. III.

Quem Medicorum niſi plane hoſpitem latet, corporis humani viſcera compluries diſcrepantibus ex cauſis, ſibi corruptionis labem contrahere poſſe, qua ad tam immenſam magnitudinem ſæpe perducuntur, ut ſane omnem fidem excedere videatur.

Quis enim ſibi in animum inducere poſſit, ex diſruptis & apertis Hydraulicis Microcosmi canalibus mirabiles illas extravaſationes, inundationesque ſeri pariter ac lymphæ ſuos debere natales, quæ in variis Æconomiæ animalis regionibus accidunt, ut in habitu corporis externo ſub cute facta dicuntur. *Anaſarca*, in capite *Hydrocephalus*, in pectore *Hydrops pectoris*; in Abdominis cavitate *Aſcites* vocatur; quæ omnia hic pertractare inſtituti mei non poſtulat ratio; ſed tantum in illam inundationis ſpeciem in præſenti inquirere animus mihi eſt, quæ ſcrotum occupat, in quo ſub nomine *Hydroceles* venit.

§. IV.

Ut autem juſtam Hydroceles acquiramus ideam, neceſſe erit, ex fabrica partium, duplicem Herniæ aquoſæ eruere ſpeciem, quarum una integumenta ſcroti exteriora, & ſpecialtim membranam celluloſam occupans, per ſedem ſuam aliaque ſigna ſe ab aliis tumorum generibus diſtinguere ſolet, & a Medicis Hydrops ſcroti vocatur, quæ nunc tractanda venit, ut ab Hydrocele rite dignoſci queat.

Ex Anatome liquet dari in admiranda corporis humani fabrica ſubſtantiam ſubtiliſſimam, cellulis, oleum medullare continentibus, undique refertam; quæ eadem originis ubique veſtigia agnoſcens, eosdem fere ſemper patitur morbos; ſic ſcrotum magna aliquando humorum mole inundatur; & in immanem usque magnitudinem attollitur, dum Anaſarca ſuas in tenella compage ludit tragœdias; collectiones ſeri inſolitas in ſcroti capacitate progignere conſueta.

§. V.

Indicia, quæ ſedem humoris oſtendunt, non parum ab ipſa Hydrocele diſcrepant. Nam ſi tunica ſcroti celluloſa ſeri colluvie intenditur; ſcrotum ſine rugis æquale & omni ſua parte tumidum ſeſe manifeſtat. Tumor mollitie quadam gaudet; quæ prementi digito cedit, & eo ſublato admodum tarde ſe attollere conſuevit.

Senſim & ſine dolore augetur Oedema; & craſſiora ſcroti integumenta lagenæ adinſtar aqua repletæ, diaphana reddit; quod oppoſito candelæ lumine facile cognoſcitur; ægro in tenebris conſtituto; niſi lympha in cavitate tumoris contenta; ſit nigricans, cruenta; omnemque viſum impediat; ita ut aditus lucis penitus intercludatur.

§. VI.

Ut plurimum ſimul ipſa penis ſubſtantia eodem afficitur malo;

lo; quæ mirum in modum adeo diſtenditur ab affluentibus undique humoribus; ut præputium tumefactum omnem ſæpiſſime urinæ exitum intercipiat; vel retractum nudam oculis exhibeat glandem; hinc facilè animo concipere licet, iſtud, quod natura ſuggerit phænomenon, a nulla alia cauſa produci, niſi a continuitate tunicæ ſcroti celluloſæ cum ipſa colis ſtructura.

§. VII.

Absque ullo Hydropis Anaſarca commercio exortam vidimus ſcroti intumeſcentiam; dum vaſa communia ſcroti velamenta perreptantia, a cauſa quadam manifeſta; ut contuſione, aut vulnere diffracta ſuos effundunt liquores, & ſic ex proprio fonte morbum excitant; vel etiam ſeroſa obſtructa liberum humoribus ſuis circuitum denegant: unde fluidior ac ſubtilior portio a ſanguine ſeparatur; quæ per poros vaſorum transſudans, vel vaſcula lymphatica copioſius ſubintrans, prægrandem in ſcroto efficit tumorem.

§. VIII.

Etiam notandum venit, ſuppreſſionem urinæ a calculo, tumore, vel ab alio in urethra hærente obſtaculo producere poſſe Hydropem ſcroti, dum urina ſe per omnem penis ſcrotique ſubſtantiam celluloſam diffundit; hinc quam promptiſſime remedia tentanda ſunt, ne urina cito corrupta per acerrimas ſalis ſui particulas, inflammatione, abſceſſu aut Gangræna ſubortis, tenerrimam ſcroti deſtruat fabricam. Tutiſſima via curandi tumorem in profundis ſcarificationibus conſiſtit; attentione adhibita, ut vulnuſcula ad ſuppurationem deducantur tam cito quam fieri poteſt, ne in poſterum quam plurima ſinuoſa & callo obducta ulcera remaneant.

§. IX.

Infantibus præfertim familiaris eft Hydrops fcroti, qui ab ipfo ortu interdum hoc affectu corripiuntur; quæ res oriri videtur, fi fœtus in utero materno hærens talem habuit fitum; ita ut verenda preffa fuerint: hoc malum tenellæ ætati accidere poteft, urina eorum continuo fcrotum alluente: unde lenis proveniat inflammatio, quæ vafa irritans ferofis humoribus tunicam cellulofam adimplet.

§. X.

Ifta feri in fcroto collectio ab Hydrope per totum corporis habitum difperfa, fua trahens incunabula, quoties evenerit, nulla unquam expectari poteft curatio morbi; nifi per idonea medicamenta ftagnantes in variis locis humores e corpore educantur. Si autem magna humorum copia fcrotum turgeat, adeo ut ægro commodum in lecto, feque movendi facultatem impediat; in tali cafu præftat externis cataplasmatibus difcutientibus inhærere & curam moliri; vel facta incifione ab utroque latere fcroti ad trium pollicum longitudinem in intima tunicæ cellulofæ penetrare adita, quod adeo felici fucceffu fæpius tentatum fuit ut contigerit, totam humani corporis machinam ab ingenti aquarum mole hac ratione fuiffe exoneratam; quanquam varii artis Chirurgicæ Principes gangrænæ jamjam fuperventuræ metu perterriti aliam curandi methodum aggrediantur; ut Celeberrimus (a) Le Dran in Operat. fuis Chirurgicis, de Hydropicis affectibus agens duo potiffimum incommoda ex hac profundiori incifione profluere exiftimat; nempe quod labia vulneris ad fe mutuo accedant; contentis in fcroto humoribus nondum rite evacuatis; ita ut intra breve temporis fpatium æger denuo operationem fubire coactus fit; vel etiam a liquoribus in hac tumente corporis parte lente circulantibus gangrænam facile exoriri poffe eodem

(a) Le Dran Traité des Operations de Chirurg. p. 176.

eodem modo contendit, quare Celeberr. Autor levia hinc & inde vulnuſcula infligi ſuadet, quæ externam ſcroti ſuperficiem perforantia a Gallis *des Mouchetures* vocantur, omnique dolore & periculo carent, quamvis elapſo aliquot horarum intervallo iterum inſtitui debeant.

Fulgens illud Angliæ ſidus, Experientiſſimum (*b*) Sharp in aliam curandi viam proceſſiſſe legimus. Ut autem aqua in cellulis ſcroti extravaſata, evacuetur, profundas in pedibus ſcarificationes adigi jubet; unde ſe ſummo cum levamine morbi humoribus exitum dediſſe, teſtatur Autor, factamque pedibus inciſionem, ex loci declivioris natura multo magis ſcopo ſatisfacere, quam ipſam ſcroti ſectionem.

§. XI.

Ab aliis cauſis excitari poſſe Hydropem ſcroti, incolumi exiſtente corpore reliquo, præcedentibus paragraphis, diximus; hinc ut humores extravaſati iterum legibus circulationis obedire queant; tentanda eſt curatio morbi medicamentis diſcutientibus, ope ſacculi ſubligaculo annexo ſuſtentati ſcroto applicandis; quod ſi ſimul peccat ſumma frigiditas; opitulantur vegetabilia, quæ majorem in parte affecta excitant calorem, ſi ex vino rubro, vel aqua cui acetum adjectum fuerit, coquantur, & panni liquore expreſſo madidi calide tumori imponantur; nec inutilia ſunt Emplaſtra de Cumino, Diaphoreticum Emplaſtr. Meliloti maritatum: laxa vero cutis ſæpe Emplaſtrorum impatiens eſt, quæ, ſi id deprehendatur, protinus tollenda ſunt: ſæpius accidit, ſimul adeſſe calorem partis & rubedinem, tum refrigerantia medicamenta ſunt adhibenda. Ad interna quod attinet auxilia; præſtat ægrotis ſæpius alvum ducere; ſed ſimul tamen roborantia atque urinam moventia remedia exhibuiſſe licebit.

(*b*) Sharp. Operations de la Chirurg. Chap. IX. p. 125.

§. XII.

Sicuti per hactenus proposita medicamenta sanationem tentare conveniat; sic his non cedente tumore, ad alia artis Chirurgicæ auxilia perveniendum esse Autores statuunt: inter quæ primum sibi locum vendicare videtur perforatio scroti. Hæc operatio sequenti methodo perficitur: Chirurgus acu tricuspide cannula munita, *Troisquart* dicta perforat scrotum; adhibita cautela, ne testiculum lædat; exempta acu per cannulam omnem aquam simul & semel evacuat, contraria Encheiresi ac in paracentesi abdominis; quo facto cannula extrahitur & vulnus corrugata cute facile glutinatur, præcipue si pars pertusa tonicis roborantibus foveatur remediis; quæ agendi ratio tanquam cura palliativa considerari meretur, nam recidivam patitur morbus, nisi fons aliis appropriatis exsiccetur medicamentis.

§. XIII.

Varii Autores aliam proponunt methodum; quam magnam præstare posse utilitatem asserunt, acus filo duplicato instructa, setacei in modum a latere sinistro per latus dextrum trajicitur, acu retracta, filum relictum manet; quod bis terve de die per factam aperturam protrahitur; donec guttis aquæ ex vulnere destillantibus, omnis effluxerit humor: verum quoniam serosa colluvies intra cellulas aliquando satis viscida hæret; ejus effluxus in allegatis prioribus methodis plerumque parcior esse solet; in tali vero tumoris genere radicitus exstirpando sufficit ope lanceolæ, ut in hac hydropis specie ab anasarca proveniente patuit; amplam in utroque latere scroti ad datam longitudinem instituere sectionem, liquoribus extravasatis exitum præbere, vulnusque lenem suppurationem excitantibus remediis ad cicatricem perducere.

Si pauxillum aquæ eductæ igni admoveatur, albuminis ovi instar coagulationem subire consuevit, si spiritus salis simpl. injiciatur, portio quædam in cremorem abit; admixto sale ♀

nulla

nulla mutatio percipitur; ita ut conſtet; humorem extravaſatum nil aliud eſſe, niſi ſerum ſanguinis.

Superius autem diximus, in hoc genere mali ipſam penis ſubſtantiam mirifice intumeſcere; quod ægro ſummam parit moleſtiam; hinc ſuam quoque expoſcit medelam, quæ fit, ſi diverſis in locis per admotum ſcalpellum cutis diſtenta incidatur, emiſſoque ſero vini calidi uſu vulnuſcula expurgentur; tandem cutis ſupra glandem extendatur; hic autem monendum videtur, in hoc caſu cutim vulneratam aliquando cum ſubjecta glande cohæreſcere, quod facile impediri ſolet; ſi frequentiſſime vinum calidum inter glandem cutimque injicitur, ægro autem, ſtatim atque urinam emittat; ipſum præputium trahente & retrahente diligentiſſime, ne invicem partes affectæ agglutinari poſſint.

§. XIV.

Infantibus, quibus ſcrotum intumuit, tumor ſæpe per ſe diſſipatur, aut ætatis progreſſu fere ſemper evaneſcit.

Celeberr. Heiſter (c) in infantibus recens natis, atque ab Hydrocele infeſtatis ad eradicandum huncce affectum optimum dari remedium opinatur; ſi ſanus aliquis jejuno ſtomacho moſchatæ nucis portiuncula dentibus maſticata halitum ſuum ſæpius de die ſcroto ægro afflet; cum plurima noverit exempla infantum, qui hoc modo ſalutarem accepere medelam. Aliquando ſpiritus vini ore contentus & ſcroto afflatus eundem præſtabit effectum.

§. XV.

Breviter ac ſuccincte quantum ad ſcopum noſtrum videatur, tradita morbi prægreſſi hiſtoria, ordinis nunc poſtulat ratio, ut in præſentiarum, ipſa quoque Hydroceles fata paulo penitius inveſtigemus; hinc data in præcedentibus generali herniæ aquoſæ

(c) Confer Heiſter. Chirurg. P. 2. Sect. V. Cap. CXXII. pag. 844.

aquofæ definitione, particularibus verbis illam adumbrare non non incongruum erit.

Hydrocele eſt ſolito major humorum accumulatio in tunica ſcroti vaginali dicta, quam ad ſanitatem requiritur. Quo autem vera Herniæ aquoſæ generatio eo melius pateſcat; haud ignorari oportet, tunicam vaginalem, quæ teſtes, cum Epididymide, vaſis ſpermaticis & deferentibus involvit magna vaſorum ſerie, oſculis in interna ejus membrana patentium irrigari; quæ benignæ ac ſollicitæ naturæ providentia tantam lymphæ ſubtilioris copiam, tenuiſſimi roris adinſtar in ſtatu ſano intra cavitatem tunicæ effuſam exhalare valent, quanta ſufficit; ne partes inter ſe coaleſcant. Si autem ſalutare hocce naturæ molimen attento perſpiciamus oculo, ſua ſponte ratio elucebit; variis de cauſis, copioſam aquarum molem in vaſtiſſimum usque tumorem diſtendere poſſe tunicam vaginalem, ibidemque veram cauſari Hydrocelen.

§. XVI.

Prima hujus mali cauſa in ſola laxitate vaſorum, tunicam Elythroeideam perreptantium poſita videtur, quæ inde proficiſcitur, quod partes genitales extra corporis ambitum propendentes, nec tanto caloris vigore, nec tam vivaci humorum circulantium motu quam alia interna corporis viſcera gaudeant; hinc tenerrima vaſorum ſtamina ab irruente caterva liquorum oppreſſa, laticem ſuum in tunicæ prædictæ cavum eructant, vel etiam id accidere poſſe putamus, ſi vaſcula liquoribus reſorbendis deſtinata, non rite ſuo munere fungantur; ex quo potiſſimum fonte, accumulatis ſenſim humoribus nec reſorptis, Hydrocele emanare videtur.

§. XVII.

Deinceps oblivioni tradendum non eſt, iſtam ſeri lymphæque extravaſationem a juſto tardiori ſanguinis per vaſa ſpermatica refluxu ſuos mutuari natales; quod ex principiis Anatomicis

tomicis summam attentionem meretur; nam venæ spermaticæ sanguinem ex testiculis revehentes, maxime in latere sinistro, in quo Hydrocele, ut quotidiana docet experientia, observatur frequentissima, a vena emulgente tanquam sua origine, quam longissime sunt remotæ, neque etiam recto tramite, sed variis contorsionibus, tenellos vitium capreolos quodammodo referentibus deorsum tendunt; hanc ob causam, liquor per has venas lento gradu circulans, si in hominibus vitam sedentariam amantibus viscidam acquisiverit tenacitatem, refluit ægerrime, hinc circa ultimas vasorum angustias stagnans, subtilissima liquidorum pars, vasa transsudans, vel disruptis vasis lymphaticis, extravasata, tunicam vaginalem mirum in modum distendere valet.

§. XVIII.

Accedente aliqua causa interna, ut contusione, compressione, vel illato ictu Hydrocelen oriri posse facillime patet, id quod equum conscendentibus, vel effræno equo vectis aliquando contingit; si testis femoribus submissus hac aliave occasione valentius prematur, vasis, ex quibus testiculus dependet, præter modum coarctatis, ita ut humor libere reverti nequeat, vel diffractis effusi liquores amplam tumori producendo præbeant ansam.

§. XIX.

Varii Autores in vera Hydroceles causa indaganda in varias abiërunt sententias, & mira luxuriantis sui ingenii dedere phantasmata, quibusdam in ea hærentibus opinione (c) Hydrocelen oriri e visceribus in cavo abdominis male affectis; a fervida lienis æstuosi intemperie, serosos humores in corpore redundantes attrahente: unde perennis aquarum scaturigo ex hoc parenchymate in capacitatem abdominis destillat, ex hac vero in scrotum.

Crediderunt alii ejusdem serosum incrementum emanare a va-

(c) Piso in Colluvie Serosa Sect. IV. Cap. VII.

vasis urinariis, illud ad vesicam deferentibus, si in eorum membranis raritas aliqua ob vim acrioris urinæ, vel ab alia causa laxitas supervenerit, ob quam aliquæ guttæ assidue transsudantes, facile sibi viam sternere possint propter loci vicinitatem, & tunicarum tenuitatem ad scrotum usque. Paracelsus aliam fovens doctrinam; Hydroceles originem deducit, ex salinis particulis in scroto secretis, quæ superfluæ humiditatis haustu liquidæ in resolutionem abeuntes, magnam aquarum copiam propignere queunt.

§. XX.

Nunc examinanda veniunt signa; quibus Hydrocele se ab aliis in cavo scroti hospitantibus tumoribus manifestare solet. Primo ut ab Hydrope scroti incipiam, vidimus illum per certa existentiæ suæ se prodere indicia; quod in hac digitus tumori impressus foveam quandam reliquerit; quod cutis undique tensa sit, atque penis simul insigniter tumeat, e contrario in vera Hydrocele primo morbi stadio cutis ita rugosa evadit, ut in tumore depresso nulla fovea remaneat. Tumor se nunquam ex toto remittit, mollis est, si non nimia humoris copia inundatur; si autem vehementer increverit aquosa moles; tumor renititur; utris repleti & arcte constricti imaginem præseferens, rugis pro parte evanescentibus; scrotum liquoribus distentum magis magisque se attollit, adeo ut ipse penis retrorsum quasi tractus fere sub tumore delitescat.

Si etiam humor contentus nullum contraxit vitium, is tanquam in vitro cornuve apparet; qui vero si fæculentus, percrassus colore luridus & ater existat, minime credendum est, Hydrocelen non adesse, dummodo cætera se prodant indicia. Venæ quoque in scroto inflantur; & si digito premimus; cedit humor, circumfluensque id, quod non premitur, attollit. Tumor etiam non nisi unum scroti latus plerumque occupat, nempe sinistrum.

§. XXI.

§. XXI.

Peritonæi duplicatura cuncta fere interna abdominis viscera includens, a quavis causa dilatata & per annulum obliqui externi abdominis egressa peculiarem sibi saccum in inguine hærentem, vel ad cavitatem scroti usque extensum formare consuevit, in quo omentum, aut pars intestinorum ex sede sua naturali prolapsa diversas herniarum species producit, ad quas designandas multa Autores excogitavere nomina; si intestinum, omentum vel utraque cavum herniæ adimpleant, *Enterocele*, *Epiplocele*, vel *Entero-Epiplocele* vocantur.

Si vero saccus cum intestinorum mole in regione inguinali lateat, *Bubonocele* seu *hernia incompleta* dicitur; in capacitatem scroti devoluta, *hernia completa* audit.

§. XXII.

Qua ratione jamjam proposita vitia ab Hyprocele dignosci debeant, ex iis patescit phænomenis: Hydrocele raro vel nunquam, increscente morbo, ullis doloribus excruciat ægrum, & rarissime a causa accedente externa suam trahit originem, quod toties locum habet in Entero vel Epiplocele.

Hernia scroti intestinalis, ægro resupino jacente vel sua sponte in abdominis cavitatem retrocedit, vel saltem diminuitur, aut per exercitatas Chirurgi manus versus inguina vel in ventrem redigitur, sono quodam sive murmure oborto, retractis autem manibus; vel ægris surgentibus cum eodem murmure ad pristinas sedes revertitur malum; quæ phænomena in aquoso scroti tumore conspicere non datur.

Etiam in Hydrocele considerandum venit, in regione inguinali eaque sede, ubi vasa spermatica ex annulo musculorum abdominalium elabuntur, tumoris vel nihil esse, vel parum pro magnitudine illius; quo inferius scrotum intenditur. Contrarium vero obtinet hernia scrotalis, quæ ut plurimum prima sui rudimenta in inguine stabilita conspicienda præbet, & successu temporis incrementa capiens in scrotum prolabitur.

Aliud quoque datur ſignum, quod Hydrocelen ab hernia inteſtinali nec non ab Epiplocele diſtinguere poſſit; nempe qua parte tumor hæret, teſticulus copioſo lymphæ latice ita circumdatus eſt; ut neque viſu, neque tactu ſentiri queat, dum e contrario in dictis tumoribus herniofis, ſi non ſemper, ſaltem ſæpiſſime a latere detegatur.

Ultimum, quod reſtat examinandum, ut diſcrimen pateat, in hoc conſiſtit, quod hernia inteſtinalis, ſi animum attendamus ad Hydrocelen, tanquam ſolidum aliquod corpus conſiderationem mereatur; hinc efficit; ut hernia os pubis ſuperlapſa ſummum excitet obſtaculum, ne illud os tangentibus, quo usque tumor extenſus fuerit, ſeſe manifeſtet, quod impedimentum a collecta humorum mole nequaquam producitur; cum hi facile digitis prementibus cedant, aut a ſe invicem ſeparari poſſint.

§. XXIII.

In eodem latere ſcroti, quo Hernia inteſtinalis fuit exorta; aliquando copioſus deprehenditur liquor; qui morbus tum *Hydro-Enterocele* vocatur, & exinde adeſſe colligitur, ſi inteſtinis in abdominis cavum revolutis, nihilominus tamen extumeſcentia quædam, veſicæ aqua diſtentæ ſenſum præſeferens circa teſticulum remaneat: Si vero in uno latere ſcroti Hydrocele ſedem ſuam fixerit, in altero Enterocele, tum morbus non Hydro-Enteroceles nomen ſibi vendicat; ſed pro duplici morbo habendus eſt; in complicato hocce affectu ſummam attentionem adhibendam eſſe, facillime patet: hinc quam maxime providendum eſt, ut inteſtina in ventrem retruſa prius per idoneum ſubligaculum quam exactiſſime contineantur; antequam ſcrotum ſectione aperiatur, magnus alioqui datur metus, ne ſcroto vulnerato, inteſtinum ſimul incidatur; & ſic æger præſenti mortis periculo temere ſubjiciatur.

§. XXIV.

In prolongata Peritonæi lamella herniam inteſtinalem conti-

tinente tanta aliquando lymphæ copia invenitur; ut inde alia Hydroceles ſpecies exſurgat; hæc tamen inter rariora, quæ in Æconomia animali obſervantur phænomena, adnumeranda venit; & potiſſimum pro cauſa ſua agnoſcit Aſciten.

(*d*) Clariſſimus Monro in Actis Edinburgenſibus exhibet caſum ad virum quendam grandævum ſpectantem; qui diu vera laboraverat hernia; per multum annorum ſpatium non reducta; Patiens coactus ſuper dorſum recumbere, exquiſitos in tumore & lumbis ſuſtinuerat dolores; in aliquot locis hernioſi tumoris fluctuatio aquæ digitis plane percipiebatur; ſine ullo tamen ſolidæ inhærentis ſubſtantiæ veſtigio: inſtrumentum *Troisquart* vulgo dictum intrudebatur herniæ; cujus ope ſex libræ humoris ſeroſi detractæ fuere; tum convolutiones inteſtinorum & partes omenti nodoſæ in conſpectum venientes, ſe nullo modo reduci patiebantur: Ægro a dolore multum liberato, nec ulla Viſcerum ſphacelo ſe manifeſtante, non judicabatur neceſſarium alius operationis violentiæ ſubmittere ſenem, propter breve vitæ ejusdem curriculum.

§. XXV.

Si vero æger hernia inguinali infeſtatus in tædioſam inciderit aſciten, bracherium quodcunque quamvis ſumma dexteritate elaboratum in ſede ſua naturali inteſtina & Epiploon quidem retinere valet; tamen non adeo exacte efficaciam ſuam in comprimendo muſculorum abdominalium annulo, exſerere valet, quin pars aquarum in abdomine latentium, qua data porta, in ſaccum herniarium irruat; eumque ad notabilem elevet magnitudinem; id toties evenit; quoties ſaccus, inteſtinorum mole in ventrem repreſſa; loco ſuo remanens cum partibus vicinis coaleſcit; hinc quam manifeſtiſſimè ſequitur, hanc Hydroceles ſpeciem omnem plane eludere medelam, & nullam accipere poſſe curationem; niſi tota humorum maſſa in abdo-

do-

(*d*) Medical Eſſays Edinburg. Vol. 5. no. 22. p. 250.

dominis cavo hærens per convenientia remedia penitus sit evacuata.

Celeberrimus (*e*) Le Dran in operationibus Chirurgicis testatur se in tali Hydroceles specie puncturam instituisse; ut aquæ sacco peritonæi contentæ exitus daretur; sed brevi post immanem humorum laticem cellulosam scroti substantiam ita inundasse; ut capitis humani magnitudinem adæquaret; &, ut ei videbatur, ab hac ratione fuisse productam; nempe quod apertura sacco herniario inflicta breviori temporis spatio, quam communia integumenta, cicatrice fuerit obducta; nam extra omnem dubitationis aleam hæc lymphæ scaturigo ex abdominis cavo profluxerat; minori quam quindecim dierum intervallo iste scroti Hydrops fuit dissipatus; forsitan a vulnere peritonæi tunc temporis consolidato. Attamen alia humorum turba denuo saccum impleverat intestinalem, ita ut eadem Hydrocele remanserit.

§. XXVI.

In Observationibus Chirurgicis Citati Autoris notabile aliquod invenitur exemplum Hydroceles saccum herniarium occupantis. Æger quidam vario febris regularis insultu correptus, in herniam dextri lateris incompletam incidit; illa neglecta; cum nullum gestaret bracherium intra breve temporis curriculum in scrotum usque fuit devoluta: æger auxilium cujusdam Chirurgi Parisiensis Dom. Arnaud, Filii implorabat; qui postquam intestina in ventrem reposuerat; ei subligaculum convenientissimum applicavit, ita ut nulla deinceps se manifestaverit hernia; attamen post mensem præterlapsum ægro exorti fuere dolores; per funiculi vasor. sperm. longitudinem lancinantes; qui tamen intra aliquot dierum spatium evanuere; tumore infra regionem inguinalem excitato; qui sensim sensimque in vastissimam excrevit magnitudinem; ita ut æger summum exinde caperet incommodum; atque iterum se

Curæ

(*e*) Le Dran Traité des Operat. pag. 184.

curæ Domini Arnaud submittere cogeretur; qui aquam tumori inhærere existimans acu tricuspide cannula munita, *Trois-quart* punctionem instituit, magnamque humorum extraxit massam, verum tumore, non nisi dimidio disparente; æger ad nosocomium *de la Charité* pervenit, ubi se in exercitatas Chirurgi Le Dran tradidit manus, qui omnibus rite examinatis, invenit totam scroti superficiem tumoris rotundi figuram acquisivisse, ejusdemque indolem dubiis absconditam esse latebris.

Tumor Hydro & Sarcoceles naturam habere videbatur; ægro non recta valetudine fruenti vena fuit aperta; & durante quatuor vel quinque dierum curriculo, severissimo vitæ regimini se subjicere coactus fuit; eo successu, ut febris evanuerit; sed aqua denuò saccum replente; Celeb. Vir facillimè potuit detegere locum, Chirurgi manu antea evacuatum; omnino a testiculo separatum; qui nullum contraxerat vitium; & omnino distinctum ab alio tumore funiculum vasorum sperm. obsidentem. Hicce tumor ovi figuram referebat; & quamvis magna gauderet duritie; tamen Celeb. Autor aliquod fluidum sentire putabat: in hoc incerto rerum statu emollientia & resolutiva tumori imponebantur cataplasmata; qui tamen intra quinque dies, quamquam doloris expers, summos capiebat progressus; ita ut Dom. Le Dran, ægro nulla febre correpto, tumorem instrumento antea dicto perforaverit; ut melius ejus indolem sibi compertam haberet; & circiter aquæ doliolum urinæ colorem adæquantis extraxerit, tumore aliquatenus per evacuationem liquidæ molis diminuto; Dom. Le Dran facile perspexit saccum; qui Hydrocelen continuerat, ad minimum digiti transversi crassitudinem habere.

Finitis quatuor diebus tumor ad tantum magnitudinis apicem increverat, quantum se conspiciendum præbuerat ante puncturam, ita ut Clar. Vir in eam devenerit opinionem; tumorem penitus auferendi; quam operationem Clariss. Autor sequenti methodo peregit: scrotum in longitudine sua, a parte inferiore ad annulum obliqui externi abdominis sectione aperuit, quia tumor ad hoc intervallum se extenderat; tum tres a se

invicem diſtinctas invenit Hydroceles; quarum una ſacco herniario; de quo jam mentionem ſcimus, erat incluſa, qui in parte ſua ſuperiori conſtrictus a prementi pondere ſubligaculi, nullum omnino cum ipſo abdominis cavo commercium habebat: Celeb. Vir ingenue fatetur, ſe ſumma admiratione fuiſſe adfectum; quia nunquam adhuc viderat ſaccum hernioſum a parte abdominis conſolidatum, pondere bracherii non penitus premente principium ſacci. Secunda Hydrocele inter primam & muſculum Cremaſterem locum tenebat: Tertia ſub ipſa teſtis albuginea tunica latebat. Hæc erat illa, quam Dom. Arnaud inſtrumento acu tricuſpide inſtructa perforaverat. Quanquam teſticulus nullam in ſe conceperat labem, is tamen ab operatione immunis eſſe non poterat; quia vaſa ſpermatica, ut ſemper accidit, ſacco hernioſo, qui primam formabat Hydrocelen, immixta hærerent: itaque, poſtquam Dom. le Dran funiculum Vaſ. ſperm. ſaccumque ligaverat, ad transverſi digiti latitudinem infra ligaturam abſcidit; duabus horis poſt operationem elapſis, ægro certa ſanguinis copia fuit detracta, & fomenta ex emollientibus remediis parata, ventri impoſita fuere, adeo ut vulnus ad Suppurationem perductum; blandiſſima felicis eventus gloria medentem beaverit. (*f*)

Cæterum neque id ſilentio involvendum videtur: quod Autores quidam ſaccum in regione inguinali aperiendum proponunt, & dein immiſſa turunda, ut apertus maneat, primum ſuperiores ei detrahendas membranas; & ferro candenti poſtea inurendas, ut ſaccus principio ſuo obturato novæ Hydrocelæ generandæ occaſionem atque aptum receptaculum præbere non poſſit. Hæc Hydroceles ſpecies, quæ relaxatam peritonæi lamellam obſidet; habere videtur figuram pyriformem, externe æqualem. Tumor primo in inguine incipit, ſenſumque deſcendit, ægro ſupino jacente vel preſſione externa in abdominis cavum retrudi poteſt, ſed prompte relabitur.

(*f*) Le Dran Obſervat. de la Chirurgie. Tom. 2. 75. Obſerv. pag. 155.

§. XXVII.

§. XXVII.

Siquidem varia de Hydro-Enterocele cognofcenda tradidimus indicia, nunc quædam de Hydro-Sarcocele in medium proferre licebit, quoniam hic morbus aliquando complicatus deprehenditur.

Quid autem fentiendum fit de Sarcoceles natura, brevibus complectar verbis. Sarcocele nil aliud eft, nifi excrefcentia tefticuli fungofa, cum duritie quadam infigni conjuncta, quæ interdum exulcerari, & in cancrofam indolem abire confuevit; vafis fpermaticis plerumque eodem affectu correptis; hoc malum fæpe provenire folet ex diuturniori ftagnatione humorum in tunica vaginali hofpitantium, qui acriores facti ipfam tefticuli fubftantiam maligna corruptionis labe adeo infeftant, ut inde Sarcocele nafcatur.

Difficulter admodum Hydro-Sarcocele ab Hydrocele fimplici difcerni poteft; quoties enim fcrotum magna liquorum mole diftentum fuerit, non facile femper digito vel manu tefticuli fedem explorare datur, ita ut fummi in arte Viri opinione fua decepti fuerint cum nil nifi aquam tumori ineffe exiftimarent; & nulla durities tactu percipi poffet. (*g*) Hildanus id fibi accidiffe teftatur, cum nobiliffimum quendam juvenem hernia aquofa laborantem curandum fufcepiffet, poftquam ejus fcrotum cauftico perforaverat; feparata tertio die poft applicationem remedii agentis efchara; præter aquam etiam carneam quandam & induratam materiem circum vafa fpermatica invenit. Poft excifionem efcharæ nonnihil ferofi humoris copia effluente; dolor ingens in ventre infimo & inprimis in inguine dextro, qui erat locus affectus, fubito exoritur; qui tamen fine ullo medicamento ftatim fe remifit; æger fano corporis habitu gaudens, quinque feptimanarum fpatio, dato remediorum ufu, ab Hildano feliciter curatus fuit, quamvis fummus Vir graviffima & periculofa fymptomata ex hac perforatione fibi metuenda fore crederet; aliud etiam

(*g*) Hildanus in Obferv. 65. Cent. IV. p. 358.

etiam tradit exemplum (*h*) Hildanus de homine quodam; cujus scrotum ab excellentissimo Medico Chirurgo Jo. Griffonio fuit apertum; qui cum de sola Hydrocele cogitasset, carneam quoque substantiam testiculo & vasis spermaticis adnatam sed seroso humore veluti submersam & tectam reperit, quæ paulo post cancri maligni naturam adepta, medicamenta, ferrum simul & ignem elusit. Ex his satis superque liquet magna cautione opus esse, ne fallamur.

Lumen aliquod huic affectui cognoscendo affundi potest, si acerrimus circa testiculum & vasa spermatica doloris sensus oriatur, vel evacuatis humoribus, nihilominus testis justo grandior, ac lapideam acquisiverit duritiem, quoniam testiculi tumor sæpe nascitur a suppressa vel cohibita gonorrhæa, ubi materia retropulsa ad testem delata, tortuosam ejus substantiam obstruit, & Sarcocelæ generandæ occasionem subministrat commodam.

Cum autem vasa spermatica testiculo vitiato, eandem patiantur calamitatem; eorum durities supra annulum musculor. abdominalium dispersa, compresso abdomine, aliquando sentiri potest; vel hinc & inde nodi inæquales in regione inguinali se conspiciendos præbent; quod vitii genus Cirsocelen Medici appellant.

§. XXVIII.

Multi autores quædam attulere signa, quibus Hydrocele a Pneumatocele, seu hernia scroti flatulenta dignoscatur. Verum hæc omittenda mihi videntur, quoniam nondum luculenta exemplorum serie, neque manifestis rationibus, demonstratum est, tale vitium locum obtinere posse inter tot ac tantas, quæ corporis humani machinam infestant, ærumnas.

(*h*) Hildanus in Obferv. 65. Cent. IV. p. 558.

§. XXIX.

§. XXIX.

Veteres pariter ac Recentiores Chirurgiæ ſcriptores diſcrepantes admodum habuiſſe ſententias in de terminanda vera Hydroceles ſede quam clariſſime ex eorum ſcriptis elucet. Galenus aquoſum eum humorem in tunicis, quæ teſtes ambiunt, coacervari ſcribit. Ægineta teſtatur, magna pro parte liquorem colligi in tunica Erythroeide, vel aliquando in membrana ſupernaſcente; quæ prius uon erat, contineri, ut tertii teſticuli imaginem præſeferat: Celſus qui optime de Hydrocele ſcribit, duas ejus exhibet ſpecies, humorumque ſedem inter ſummam & mediam, modo inter mediam & imam teſticuli tunicam conſiſtere ait; ita ut inde profluere videatur, Celſum poſuiſſe, unam Hydroceles ſpeciem tunicam ſcroti (*i*) cellulofam occupare, alteram vero inter membranam, quæ communi nomine Dartos vocatur, & tunicam vaginalem locum obtinere. Inter omnes, qui de Hydrocele ſcripſere, autores convenit, dari Hydroceles ſpeciem, tunicæ ſcroti celluloſæ inhærentem, quæ haud inepte Hydrops ſcroti vocari meretur, ſed indagantes, quo loco contineatur illa humorum maſſa, quæ ab Hydrope ſcroti diſtincta fuerat; peculiares ſibi quisque formavit Hydroceles ſpecies. Multi ut (*k*) Paræus, (*l*) Foreſtus aliique autores præconceptæ Celſi opinioni favere videntur; dum inter membranam Dartos nomine dictam, & tunicam Elythroidem Hydroceles ſedem poſitam eſſe ſibi imaginentur. Quamplurimi recentioris ævi Chirurgi, variis in locis ſcroti tantam humorum copiam, ut Hydroceles nomen acquirere valeat; ſibi habitaculum vendicare poſſe conſtantes aſſerunt, nunc in eodem hærere ſpatio, quo Celſus ſuam ſtatuit Hydrocelen; nunc in peritonæi proceſſu ſupra teſticulum hnmorem conſiſtere præter naturam; aliquando in celluloſa tunicæ vaginalis ſubſtantia & in ipſius cavitate coacervari; vel pro-

(*i*) Celſus de Medicina Cap. 18. pag. 457.
(*k*) Pareus Oeuvres de la Chirurg. 8. Liv. p. 312.
(*l*) Foreſti Oper. Med. Vol. III. Obſ. XV. pag. 260.

proprio contineri folliculo, qui teſtis ſuperficiei adhæret; aut denique ſub tunica teſtis albuginea liquorem latere poſſe exiſtimant.

Has Celebrium in re Chirurgica Virorum congeſtas opiniones æqua animi lance examinare, ingenii mei tenuitas prohibet, id ſaltem dicere ſufficiat, mihi ex datis Autorum placitis, præ omnibus arriſiſſe ſententiam illorum, qui veram Hydroceles ſedem intra tunicæ vaginalis cavum latitare docent.

§. XXX.

Fateor quidem dari & aliam Hydroceles ſpeciem; quæ intra vaginam funiculum vaſorum ſpermaticorum continentem incluſa hæret; verum præ rariſſimo exiſtentiæ ſuæ caſu juſto Hydroceles nomine ſuperbire non meretur, nam hoc certiſſimum eſt fere omnem, quæ in quotidiana Praxi Chirurgica occurrit, Hydrocelen, in tunicæ vaginalis cavo ſuam fixiſſe ſedem.

Si autem illa funiculi vaſ. ſpermat. Hydrocele infeſtaverit ægrum, facile ex oblongo tumore conſpicitur, quia tum ad annulum muſculorum abdominalium ſe extendit: teſticulus tumere non comprehenditur, isque manibus palpari poteſt: hæc ſpecies eandem expoſcit curationis medelam, quam in vera Hydrocele diximus, Clariſſ. Monro in Actis Edimburg. accurate de hac ſpecie loquitur.

§. XXXI.

Licet omnis hominum ætas a tædioſiſſimo Hydroceles affectu infeſtari ſoleat; hanc tamen non adeo periculoſas Machinæ humanæ inſidias ſtruere, certiſſima quotidianæ experientiæ obſervatæ evincunt.

Neque hoc valetudinis genus, ſi modo tumor faſcia exceptus ſuſpenſus teneatur, prohibet, quo minus ægri ad ultimam perveniant ſenectutem, nil inde mali, niſi ſummam ſentientes moleſtiam; imo aliquot autorum exempla teſtantur; Hydrocelen, quamvis nulla artis auxilia adhibuiſſet æger, ſua ſponte

te

te disparuisse, sed hos casus inter rariores naturæ eventus adnumerari debere, facillime liquet: hinc ad ipsam morbi progredimur curationem, quæ difficillime data medicamentorum ope impetratur, facilius tamen juniores, quam ætate provecti ab internis remediis accipiunt levamen; ita ut aliquando malum ab his applicatis radicitus fuerit sublatum, præsertim si cataplasmata discutientia ex salvia, fœniculo, majorana, aliisque ejusdem efficaciæ plantis confecta tumori calide imponantur, vel alia artis Medicæ instituantur adminicula, quæ jam in Hydrope Scroti laudavimus. Si omnia hæc ad auferendum malum suos non exserere valeant effectus, ad scalpellum denique perveniendum est.

§. XXXII.

Duplicem sanandi viam, quæ manu perficitur, in Hydroceles curatione eligi posse, palam est, unam perfectam seu radicalem, alteram imperfectam, seu palliativam Medici nuncupare consueverunt. Duplex inprimis hic intenditur scopus 1. ut exitus detur humoribus supra modum in tunica vaginali extravasatis, 2. ut prohibeatur, ne quid liquoris justæ quantitatis limites excedentis denuo ibi colligatur.

§. XXXIII.

Palliativa curandi Methodus a variis scriptoribus summis extollitur laudibus, alterique præponitur, quoniam dolore ac periculo vacat, & longe promptius iterum institui potest, neque ægros per aliquot dierum spatium lecto affigit, ut altera solet. Imperfectam itaque primo explicare tentabimus, antequam ad radicalem in plenam ægris sanitatem restituendam, ab autoribus celebratam, descendamus methodum.

§. XXXIV.

Antequam aptissimum illud instrumentum, quod Galli *Trois-*

quart

quart vocant, pro emittendis humoribus Hydropicis in cavitate quadam ſtagnantibus fuit excogitatum; Antiquioris ævi Medicos in promovenda curatione palliativa, phlebotomum ſeu lanceolam adhibuiſſe conſtat; ſcrotoque rite aperto, liquorum per immiſſam quandam fiſtulam eduxiſſe. Verum noſtra ætate ubique fere acus illa apice triangulari munita tuboque incluſa, ut perforetur ſcrotum, majori cum commoditate, quia plerumque æger a ſcalpello abhorret; adhibetur. Operatio eadem ratione inſtituitur, ac in Hydrope ſcroti diximus; in Hydrocele ſolum attendendum eſt, ut penitius adigatur inſtrumentum circiter ad digiti transverſi longitudinem in imam ſcroti partem deorſum verſus; tumore per manum Chirurgi antea depreſſo.

Neque vulnuſculum aliquem ſanationis modum expoſcit, nam ſua ſponte glutinatur. Quam maxime dolendum eſt, hanc tunicæ vaginalis perforationem moleſtiſſimo ſeri in priſtinas ſedes recurſu, nova de tempore ad tempus Chirurgis exercitia exhibere; quum tumor novo iterum turgeat latice, & frequentiſſima Anadromes ſuggerat exempla in hominibus, qui ad operationem iſtam pluribus etiam recurrere vicibus coacti ſunt; ut (*m*) Hildanus teſtatur; ſe virum quendam ſexagenarium noviſſe; qui ſingulis annis liquidam iſtam ſcroti ſarcinam manu chirurgica depoſuerit additque hominem, ad canam perveniſſe ſenectutem, imo in Ephemeridibus Naturæ curioſorum habetur exemplum de Viro, qui vicies hanc ſubiit operationem, adeo felici ſucceſſu, ut vix aliis eadem toties felicitate ſucceſſerit.

Sæpe vero accidit, palliativam prorſus rejiciendam eſſe curam, ſi cognoſcatur; humorem intus contentum turbidum evaſiſſe, vel tenacitatem adeo magnam nactum fuiſſe, ut per inſertum tubulum commode effluere nequeat, vel denique malignum contraxiſſe fœtorem, ut ad perfectam curandi methodum procedere cogamur, ne ex diuturniori temporis mora, humoribus infectis, tota ſcroti ſubſtantia in ſphaceloſam tranſeat corruptionem.

§. XXXV.

(*m*) Hildanus in obſervat. Chirurg. Cent. IV. Obſerv. 66. pag. 340

§. XXXV.

Admiratione sane dignum videtur, diversas Hydroceles radicali methodo curatas per manifesta cicatricis suæ indicia docuisse, conglutinationem testiculi cum tunica vaginali, hanc vero cum aliis partibus prosperam conciliasse sanationem. Ex hac observatione facile concipere licet, felicem morbi hujus eventum suam capere medelam ex evacuatione aquæ sanguini permixtæ; Nam discissis patentiori plaga, ut in hac perfecta curandi Methodo fieri solet, scroti tunicis, per solutam vasorum cohæsionem, & inflammationis insequentis efficaciam, multa disrumpuntur vascula, quæ ipsam sanguinis exstillantis scaturiginem exhibent; quia autem certis scientiæ medicæ nititur fundamentis, membranas, quæ humani corporis texturam investiunt, nil nisi ex mera vasorum congerie constare: hinc quam maxime rationi consentaneum esse videtur; si inflammatione distentis vasis majoribus minima hæc compressa non efflent tenuissimum illud liquidum, quo partes irrigangantur; siccas earum superficies inter se satis cito concrescere; quod toties locum habet in Pleuritide, Peripneumonia, Empyemate, pulmone pleuræ accreto; eandem ergo partium cohærescentiam in Hydroceles sanatione obtineri posse, quis non videt?

§. XXXVI.

Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin facta incisio per intimam tunicæ vaginalis cavitatem, usque perfectam Hydroceles curationem efficere valeat. Raro enim evenit; Herniam aquosam ad tantam excrevisse magnitudinem, ut exteriora scroti integumenta pro parte & tunicæ vaginalis portio exscindi debeant; quamvis hæc curandi via Celsi temporibus celebrata fuisse videatur; quia nullam de palliativa cura facit mentionem, sed solum de exscindendis scroti membranis loquitur.

(*) Celsus de Medicina Cap. 19. pag. 461.

§. XXXVII.

Profecta seu radicalis curatio morbi hac methodo perficitur; Æger in sede collocatus a viris aliquot adstantibus detinetur. Chirurgus sinistra manu prehenso tumore, ut ita humorem, quantum valet, ima versus propellat, membranas audacter secare debet, donec ad contentum in tunica vaginali perveniat liquorem.

Plaga facienda est secundum longitudinem scroti in parte inferiore tumoris. Circumspiciendum est, ne sectio instituatur in ipsa scroti linea, quam ῥαφὴν Veteres vocarunt; quippe arteriam comprehendit, ex cujus læsione sanguinis profusio timeri potest.

Humore elapso, ipse testiculus exploratur, qui ibi in carcinomatis naturam transiisse deprehenditur; ligatis vasis spermaticis, exstirpandus est; si vasa spermatica maligna labe infecta reperiantur, summisque doloribus hominem excrucient, incerta salutis medela in castratione posita est. Repudianda enim est Empyricorum medendi ratio; qui in ægris Hydrocele vexatis, levissima de causa testiculum humano generi conservando adeo necessarium summa cum temeritate e scroto evellunt. (*o*)

Tale Exemplum habetur in observationibus experientissimi Palfyn, qui id Canonico cuidam triginta annorum spatium prætervecto Gandavi accidisse testatur. Is Hydrocele jam ab aliquo tempore laboraverat; aquosa moles in tunica vaginali latens interdum a Chirurgo acu triangulari (Troisquart) fuit educta, verum Fratre Jacobo Eremita Gandavum adveniente, æger seu jam impatiens, seu amicorum consilio persuasus, aut quod cum vulgo libenter decipi vellet, se in hominis istius ignari tradidit manus, ut sanaretur, qui nec ulla ratione aut necessitate adactus, Patienti testiculum abscindere non erubuit, quum eo servato felix curationis exitus omnino expectari potuisset, æger tribus hebdomadibus elapsis, vulnere fere consolidato, convulsis excruciatus insultibus miserrime supremam obiit diem.

Ve-

(*o*) Palfyn in Pract. de Operat. Chirurg. XIV. Cap. pag. 169.

Verum ut ad rem redeamus, præſtat poſt peractam operationem vulneris cavum carptis implere linamentis, & faſcia illa literæ T formam præſeferente, ne ex diſciſſis vaſorum orificiis, violenta naſcatur hæmorrhagia; quam Patienti ſuo poſt apertam Hydrocelen accidiſſe in Actis Edimburgenſ. exhibet Dom. Jamiſon. (*p*)

Vir erat nobilis circiter annos ſexaginta natus, qui Hydrocele teſticuli ſiniſtri corripiebatur; ſingulis annis durante quatuor eorum ſpatio operationem ſubire coactus fuit, unaquaque operatione Celeb. Autor viginti tres uncias aquæ ex ſcroto evacuavit; omnia medicamenta poſt operationem applicata æger fere ſemper neglexit; nec ad juſtam ſobrietatis normam vivere voluit.

Quarta operatione peracta paulo poſt aquoſæ molis eductionem duodecim circiter unciæ ſanguinis puri & limpidi ex orificio vulneris emanabant. Patiens interea nullam doloris querelam effundebat, Hæmorrhagia ſua ſponte ceſſante ope nullius remedii adjuvantis præter venæſectionem in brachio inſtitutam.

Craſtina Aurora ſequenti, Æger teſtabatur, ſe magnum a teſticulo ad inguen percepiſſe pondus; apparatu curationis remoto, ſcrotum largius quam in ipſa durante Hydrocele apparuit.

Ampla dein a Celeberr. Viro inciſio facta fuit per tunicam vaginalem usque, qua diſſecta, magna ſanguinis ſpiſſi & coagulati quantitas eodem momento excidebat, atque ope digiti circa tunicam albugineam, & furſum ad annulum muſculorum abdominalium concreti ſanguinis removebatur maſſa; Teſticulus & propria ejus integumenta ſana conditione frui viſa fuêre; hæmorrhagia finita & tunica vaginali ſe ipſam contrahente absque ulla alia operatione, applicatis ſiquidem externis & internis remediis, curatio morbi expectata fuit, quæ tribus ſeptimanis abſolvebatur, tunica vaginali ubique tam firmiter Albugineæ accreta, ut per trium, quos vixit ad-

(*p*) Medical Eſſays Edimb. Vol. 2. Art. 14. p. 222.

adhuc annorum curriculum, nulla Hydrocele apparuerit, febris cum Afthmate conjuncta caufa fuit ejus mortis. Ad deligationem vulneris quod attinet, diebus proximis priora illa linimenta removeri debent; aliaque unguento digeftivo ut fuppuratio promoveatur, impraegnata vulneratis tunicis imponantur; fi nimis callofae factae fuerint fcroti membranae, mercurium praecipit: rubrum unguento digeft. admifcere juvat; finita fuppuratione, tamdiu vulnus deligari neceffe eft, donec probe cicatrice obductum fentiatur.

§. XXXVIII.

Maximum, quod in hac curandi methodo metuitur malum, a fuperveniente febre vulneraria dependet, quae tanta cum vehementia aegrum infeftare confuevit, ut in fummo vitae periculo vefari videatur, quamquam raro mors infequatur. Hoc autem phaenomenon ex quotidiana Praxeos Chirurgicae experientia eruitur, nam in omnibus alicujus momenti vulneribus fecundo vel tertio die in parte vulnerata nafcitur inflammatio, quae febriculam boni femper ominis, habet comitem, ut per hocce falutare naturae humanae conamen fequatur fuppuratio, per quam regeneratio perditi & unio partium feparatarum egregie producitur. Cum autem partes corporis humani membranaceae non tam facile, quam mufculofa caro tranfeant in fuppurationem, non mirum cuique videbitur, in membranaceis fcroti tunicis vulneratis, majorem excitari debere inflammationis gradum, & validiorem exinde nafci febris efficaciam, ut pus formari valeat: nam pure facto, plerumque haec fymptomata ceffant. Itaque fummopere attendendum eft; ut idoneis auxiliis tollatur nimis valida inflammatio, ne partem affectam gangraenofa deftruat corruptela, ut febris nimio impetu excitata intra debitos teneatur limites, & omnia precaveantur fymptomata, quae curationi vulneris nocere poffunt. Multi Autores ad iftam febrim vulnerariam animum non adhibuiffe videntur. Garengeot fententiam illorum improbans; qui Hydrocelen non fcalpello, fed impofitis Caufticis aperiendam

dam esse, existimant, addit, se expertum fuisse, salinas caustici remedii particulas, Hydroceles aquis immixtas, venenata labe adeo impraegnasse tumorem, ut inde pessima insecuta fuerint symptomata, quae tamen certo certius ab ipsa febris vulnerariae orgasmo exorta fuêre. (q).

Fateor equidem Hildanum de gravissimis Hydroceles apertae symptomatibus serio cogitasse, verum illa in aegris suis provenisse putabat; quoniam pravis humoribus referti erant. (r).

§. XXXIX.

Ut autem plenius convincamur, felicissimum morbi eventum a febre primis post operationem diebus superveniente expectandum esse, unam alteramve Celeb. Sharp. observationem adjicere licet. (s)

Homo robustus, quadragesimum quartum agens annum; qui per totum aetatis suae decursum optima vixerat sanitate; Hydrocele in latere sinistro scroti haerente corripiebatur, curae Dom. Schakeri 1733. ut ab illa liberaretur sarcina, se committens, incisione facta 3°. Dec. ad quatuor ibidem pollicum longitudinem in scroti tunicas, aquarum moles evacuabatur. Nocte adveniente, aeger febre laborare incipiebat, somnumque capere non poterat, scrotum & testiculus in illa parte, qua Hydrocele orta fuerat, inflammatione adfectum se manifestabat, & subtilissimae arteriolae patulis hiantes osculis magnam sanguinis copiam eructabant, Aeger de dolore in dorso conquerebatur; verum hic magnopere decrevit; dum suspensorium tumori subjiceretur. Per quatuor dierum insequentium seriem in eodem valetudinis statu permansit aeger; donec febris perpetuo accrescens, suppuratione vulneris testiculique facta, patientem relinqueret. Itaque melius se habere incipiebat, vires ejus adaugebantur, & puris evacuatio ex ipso sequebatur te-

sti-

(q) Garengeot. Traité des Operations Vol. 1. Artic. 3. p. 468.
(r) Hildanus in Observ. 65. Cent. 4.
(s) Sharp. Operations Chap. 9. p. 133. & p. 135.

ſticulo, quare teſtis ſubſtantiam ad longitudinem tumoris incidebat Autor, cum ſinus, quem pus ſibi formaverat ſe fere ad ſcroti ſeptum extenderet. Hoc facto mirum in modum diminuta fuit evacuatio, ita ut maxima pars ſuperficiei teſticuli intra ſex dies ſcroto coaleſceret, ſolum remanente vulnere externo, quod tamen decimo Januarii cicatrice jam obductum erat, & ultimis Martii Menſis diebus A°. 1734. æger perfecta fruebatur ſanitate.

A°. 1733. Sectione aperiebat Clariſ. Scharp. ſcrotum tunicamque vaginalem pueri, qui Hydrocele vexabatur, circiter ad octavum ætatis ſuæ annum pervecti, is in magnum inciderat vitæ diſcrimen, donec tandem febre ſuppuratoria diſſipata, pus ſe in ſcroto manifeſtaret, & æger non niſi ſumma difficultate intra paucas hebdomadas perfectam obtineret ſanitatem.

§. XL.

Nec credere licet ab ipſius tunicæ vaginalis inflammatione tantum excitari poſſe periculum, quantum hac operationis methodo curatos ſubiiſſe videmus; quoniam ſupra laudatus Scharp fatetur, ſe in duobus hominibus Hydrocele adfectis cum duritie teſticuli conjuncta totam tunicam excidiſſe vaginalem; operationem nullis malignis ſymtomatibus fuiſſe ſtipatam, & ægros integram recuperaſſe ſanitatem. Sufficit itaque demonſtraſſe ex ampliori ſcroti & tunicæ vaginalis inciſione, perfectam Hydroceles curationem feliciter abſolvi poſſe, debito regimine morbi adhibito, ut inde ſalutares in corpore ægro producantur effectus.

T A N T U M.

THESES.

I.

Venæsectio nocet in Hydrocele.

II.

Omnis Hydrocele, quæ in quotidiana Praxi Chirurgica occurrit, in tunica scroti vaginali sibi locum vendicat.

III.

Hydrocele est solito major humorum coacervatio in tunica scroti Vaginali, quam ad sanitatem requiritur.

IV.

Balneum vaporis convenit in Hydrocele.

V.

Sarcocele non est excrescentia, quæ testiculo adnascitur, carnosa; sed verus testiculi scirrhus, qui in cancrosam plerumque abit indolem.